

lit. S. repetitur, nam in genere potius probatio sic fieri debet, ut in foro civili, nemo de ea dubitare queat, & si soli iudici fides facienda excluso adversario, contra hunc probatio effectum habere non potest. Nihil juvant istam sententiam *l. 12. de probat. in fin. l. 3. §. 1. 2. de test.* nam utique veritas rei controversæ iudici quoque adprobanda est, quod *d. ll.* innuunt, sed quod ad iudicem solum sit probatio restringenda, neutiquam docent. Porro vana est ratio, qua utuntur interpretes, probationem nunquam adversario satisfacturam esse, etiamsi solem ipsum, ad ostendendam veritatem, in manibus gereres, sed adversarium semper negare. vid. *MASCARD. de probat. V. 1. qu. 2. n. 24. seq.* nec enim quid neget, sed quid cum ratione neget adversarius, attendendum est. Quod si hoc velint interpretes, soli iudici veritatem probatione esse persuadendam, adhuc id otiosum est, quia ad probationem nihil aliud requiritur, quam ut eadem juxta leges vera & sufficiens sit, an de cætero iudex hoc credere velit, nec ne, perinde est.

OBSERV. DCCX.

Dividitur à causa instrumentali) Probatio duplici respectu distingui potest, (1.) à modo, (2.) effectu. Juxta primum respectum *AUTOR* ejus species summam indicat, alias in illis plenius recensendis & ordinandis, interpretes non adeo consentiunt; vid. *MASCARD. de probat. V. 1. qu. 4.* si generalius Probationem supponas (nam stilo forensi, nonnunquam eam stricte accipi novimus vid. *BERGER in resolut. h.*) forte ita dici potest: Probatio peragitur vel *revelatione divina*, quæ extra casum specialis permissionis divinæ, est illicita, ex quo genere est probatio per duellum, ferrum, aquam